METHODUS AB EMINENTISSIMIS ET REVERENDISSIMIS DD...



Sacrae actiones omnes majoris hebdomadae hoc anno in Patriarchali Basilica S. Petri in Vaticano explebuntur, hora quae notabitur in schedula ab Apostolicarum Caeremoniarum Praefecto typis imprimenda et de more diribenda.

Dominica in palmis. Emi et Rmi DD. Cardinales vestibus violaceis induti cum rocchetto, mantelletto et mozzetta, et cum calceis nigris ad Basilicam Vaticanam accedent, et Ss. Sacramentum in proprio sacello adorabunt: tum mozzettam et mantellettum deponent atque induent vestes sacras cuique Ordini proprias, videlicet ex Ordine Episcoporum amictum, superpelliceum, pluviale coloris violacei cum formale

et mitram; ex Ordine Presbyterorum amictum, planetam ejusdem coloris et mitram; ex Ordine vero Diaconorum amictum, planetam ante pectus plicatam pariter violaceam et mitram. Tum convenient in aulam paramentorum in sacello Gregoriano B. M. V. et Summi Pontificis adventum expectabunt.

Rmi Patriarchae, Primates et viginti Archiepiscopi vel Episcopi, qui per peculiare monitum induent sacras vestes, postquam Ss. Sacramentum adoraverint, in sacello S. Sebastiani supra rocchettum, vel supra superpelliceum si erunt regulares, amictum et pluviale coloris violacei ac mitram assument, et pariter convenient in praedictam aulam paramentorum. Si inter praedictos Patres aderint aliqui ex Orientalibus, induent vestes sacras suo ritui convenientes et cum aliis Patribus ritus latini manebunt in aula praefata.

Reliqui Rmi Patres cappa induti locum petent in presbyterio ad subsellia designata.

Postquam Summus Pontifex sacris vestibus ornatus fuerit, consueto processionis

ordine, praecedentibus post Crucem Papalem Emis et Rmis DD. Cardinalibus, Rmis DD. Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis paratis procedetur ad sacellum Ss. Sacramenti, tum ad aram maximam et quisque locum sibi debitum occupabit.

Praestabitur Summo Pontifici obedientia ab Emis et Rmis DD. Cardinalibus et a Rmis Patriarchis tantum.

Peracta Palmarum benedictione, accedent ad solium e manibus Summi Pontificis palmam recepturi Emi et Rmi DD. Cardinales, Rmi DD. Patriarchae, Primates, Archiepiscopi et Episcopi, qui ut supra notatum fuit, sacris vestibus induti erunt. Deinde ipse Summus Pontifex distribuet palmas duobus antiquioribus e quolibet Collegio seu Ordine, quibus jus est interessendi Pontificiae Cappellae.

Reliquis Rmis Patribus et ceteris omnibus qui in ipsa Cappella locum habent, tradetur palma a Magistris Caeremoniarum.

Completa palmarum distributione, ordinabitur processio, quae constabit tum

Officialibus et Praelatis, qui Crucem praecedunt, tum Poenitentiariis, Episcopis et Archiepiscopis paratis una cum Rmis Primatibus et Patriarchis ac Emis et Rmis DD. Cardinalibus.

Rmi Patres, qui cappis induti erunt, in propriis subselliis remanebunt.

In reditu processionis Rmi Patriarchae, Primates, Archiepiscopi et Episcopi, facta Cruci altaris reverentia, recta secedent in proximum sacellum S. Leonis, ubi sacra paramenta deponent, assument cappas et palmam ac iterum in presbyterium redibunt.

Proinde iidem Rmi Patres curabunt ut in eodem S. Leonis sacello adsit aliquis e suis famulis, qui eorum sacras vestes recipiat et cappis eos induat, quod etiam sequentibus diebus, quum opus fuerit, idem praestabunt.

Emorum ac Rmorum DD. Cardinalium cubicularii, dum fiet processio, per praedictum S. Leonis sacellum ingredientur presbyterium et suorum Dominorum cappas deferent.

Expleta processione et Summo Ponti-

fice ante altare reverso, Emi et Rmi DD. Cardinales in propriis subselliis exuent sacra paramenta et cappas induent. Eorum cubicularii, receptis sacris vestibus, e presbyterio per idem S. Leonis sacellum discedent.

In celebratione Missae solemnis servabitur ritus, qui praescriptus est. Ad verba epistolae *Ut in nomine Jesu etc.* dum a Subdiacono canentur, omnes in propriis locis genua flectent.

Ad cantum Passionis omnes stabunt et palmam manibus tenebunt: ad postremam Passionis partem, quae a Diacono canetur, stabunt nudato capite et palmam prae manibus habebunt.

Ad elevationem Ss. Sacramenti solummodo Summus Pontifex palmam sustinebit.

Completa Missa in reditu processionis ad aulam paramentorum post Crucem Papalem sequentur Emi et Rmi DD. Cardinales tantum. Rmi Patriarchae, Primates, Archiepiscopi et Episcopi, qui in hac sacra functione sacras vestes induerunt, Summum Pontificem ad paramentorum aulam revertentem sequentur.

In matutinis tenebrarum. Emi et Rmi DD. Cardinales et Rmi Patres basilicam ingressi cappas induent. Feriis IV. et V. Ss. Sacramentum in sacello, in quo asservabitur adorabunt, tum locum sibi respective debitum in presbyterio occupabunt.

Completis Matutinis, Domini Canonici S. Petri majores reliquias populo e podio ostendent.

Feria V. in Coena Domini. Emi et Rmi DD. Cardinales vestibus violaceis induti cum rocchetto, mantelletto et mozzetta et cum calceis nigris accedent ad Basilicam Vaticanam. Postquam Ss. Sacramentum adoraverint, induent cappas violaceas, pergent ad subsellia in presbyterio et Missae solemnis celebrationi intererunt.

Rmi Patriarchae, Primates, Archiepiscopi et Episcopi ad praedictam Basilicam accedent et adorato Ss. Sacramento cappas assument in sacello S. Sebastiani, pergent ad subsellia in presbyterio et Missae solemni adsistent.

Sub finem Missae solemnis Rmi Patriarchae et Primates ac viginti Archiepiscopi et Episcopi, qui praemoniti fuerint,

ibunt ad S. Leonis sacellum, ibique deposita cappa, supra rocchettum et amictum pluviale coloris albi cum mitra linea sument, et expleta Missa ad presbyterium revertentur.

Completa Missa, Emorum et Rmorum DD. Cardinalium cubicularii presbyterium a latere sacelli S. Leonis ingredientur, et Emi ac Rmi DD. depositis cappis induent paramenta sacra albi coloris cuique ordini competentia ac mitras. Praedicti cubicularii ab eodem latere egredientur e presbyterio.

Deinde solemni pompa deferetur a Summo Pontifice Ss. Sacramentum ad sacellum chori, in quo expositum remanebit usque in crastinum.

In processione Rmi Patres parati nudato capite sequentur Subdiaconum, qui deferet Crucem Papalem, exceptis octo ex Rmis Patribus, qui baldacchinum deferent super Ss. Sacramentum.

In processione qui ad dexteram incedent, dextera gestabunt candelam accensam et manu sinistra mitram; qui vero ad sinistram ibunt, gerent candelam accensam manu sinistra, et dextera mitram: si quis

medius inter alios duos incedet, feret candelam manu extera.

Officiales et Collegia Praelatorum, quae Papalem Crucem praecedunt, ut ante sacellum chori pervenerint, consistent in media basilicae navi ante ipsum sacellum: Rmi Patres parati consistent ante cancellos ejusdem sacelli; Emi et Rmi DD. Cardinales locum petent in scamnis appositis intra idem sacellum.

Reliqui Rmi Patres, qui cappis induti erunt, si eis libuerit, sequi poterunt Summum Pontificem postquam expositum fuerit Ss. Sacramentum, et a nonnullis Pontificis familiaribus comitabuntur ad podium positum supra porticum a latere dextero pontificalium aedium extantem, ut Summi Pontificis benedictioni, quam populo elargietur, assistant. Ad hoc podium ascendent per porticum basilicae, per scalas quibus patet aditus sub equestri signo Constantini Magni et per atrium, quod *delle loggie* nuncupatur.

Exposito Ss. Sacramento in sacello chori, eodem ordine, quo prius, dirigetur processio ad superius podium basilicae, ex

quo Summus Pontifex benedictionem populo elargietur.

Data a Summo Pontifice benedictione, procedetur ad sacellum Sixti IV. in quo Summus Pontifex deponet sacra paramenta. Emi et Rmi DD. Cardinales in ipso pariter sacello sacras vestes exuent et iterum assument cappas violaceas, quibus induti per scalas internas, quibus descenditur ad basilicam, denuo ad ipsam eamdem basilicam se conferent ut Mandato adsistant, qui ritus hoc anno explebitur in presbyterio ante altare maximum.

Rmi Patres, qui parati processioni interfuerunt, per easdem internas scalas iterum ad basilicam accedent et in sacello S. Leonis, in quo paramenta assumpserunt, ipsas sacras vestes deponent et cappas resument ut in assignatis subselliis Mandato adsistant.

Reliqui Rmi Patres, qui ad alterum superius podium in Palatio accesserunt, per scalas *del Maresciallo* nuncupatas, per aulam regiam, per sacellum Sixtinum, et scalas internas ad basilicam revertentur, ac in presbyterio locum petent pro Mandato.

Quibus Rmorum Patrum placuerit post Mandatum ad superiorem aulam accedere, a praefatis familiaribus pontificiis comitati conscendent scalas, quibus patet aditus in eadem basilica prope sacellum fontis baptismalis.

Feria VI in Parasceve. Emi et Rmi DD. Cardinales praeter consuetas vestes violaceas, caligas quoque et collaria eiusdem coloris adhibebunt, atque annulum hodie non deferent. Basilicam ingressi, cappam violaceam laneam induent, et ante Ss. Sacramentum expositum orabunt. Tum ad presbyterium accedent, breviter ante altare orabunt et facta Cruci tantummodo reverentia, pergent ad propria subsellia.

Rmi Patres cum consuetis vestibus violaceis adhibebunt caligas et collaria nigri coloris, ac annulum non deferent. In sacello S. Sebastiani cappam assument, ante Ss. Sacramentum expositum orabunt, tum pergent ad presbyterium et locum assignatum occupabunt. Antequam ad subsellia accedant, parumper ante altare orabunt et Cruci inclinationem facient. Reverentiae mutuae vel versus chorum hac die omittuntur.

Rmi Patres qui numero quadraginta eligentur pro Crucis adoratione, consistent post sedilia in quibus aderunt Rmi Patriarchae et Primates.

Missa Praesanctificatorum ritu consueto celebrabitur.

Omnes stabunt ad cantum Passionis et ad ultimam partem, quae a Diacono canetur, caput nudabunt.

In Crucis detectione ad verba *Venite adoremus* omnes genuflectent, sed tertia vice postquam cantatum fuerit *Venite adoremus*, omnes remanebunt genuflexi quousque Cardinalis celebrans Crucem super pulvinari locaverit.

Ad Crucis adorationem Emi et Rmi DD. Cardinales calceos deponent, ac proinde cubicularii DD. Cardinalium presbyterium ingredientur per aditum sacelli S. Leonis.

Rmi Patres, qui Crucem adorabunt, calceos deponent. et bini ad ipsam accedent. Advertant genuflectere pari tempore cum suo Collega ac tribus in locis quae eis indicabuntur.

Crux adorabitur ab omnibus Emis ac

Rmis DD. Cardinalibus, a Rmis Pratriarchis, Primatibus ac quadraginta Patribus, ut jam innutum fuit. Tantummodo duo antiquiores ex quolibet ordine seu Collegio eorum qui locum habent in Cappella Pontificia admittentur ad Crucis adorationem.

Quando post adorationem Diaconus referet Crucem super altare, omnes genuflectent quoadusque Crux ipsa super sua basi fuerit locata.

Dehinc omnes unico genu adorabunt Crucem super altare positam in accessu, recessu, vel in transitu.

In processione ad sacellum in quo pridie expositum fuit Ss. Sacramentum, et in reditu ab eodem sacello ad altare majus, Emi et Rmi DD. Cardinales Crucem papalem sequentur. Octo ex Rmis Patribus, qui moniti fuerint, Summum Pontificem sequentur et baldacchinum deferent super Ss. Sacramentum.

In reditu processionis ad altare majus non fiet genuflexio versus idem altare, nam in processione Ss. Sacramentum defertur.

De sero. Post Matutinum tenebrarum Emi et Rmi DD. Cardinales cappas laneas

deponent et, resumptis mantelletto et mozzetta, Summum Pontificem, qui basilicam visitabit, a ianua principali associabunt.

Sabbato Sancto. Emi et Rmi DD. Cardinales et Rmi Patres cappas induent ut diebus praecedentibus et locum in presbyterio occupabunt, ut Cerei benedictioni ac reliquis sacris actionibus, quae solemni Missae praemittuntur, assistent.

Fontis baptismalis benedictio fiet ab Emo et Rmo D. Cardinali celebrante, qui illuc cum suis ministris accedet.

Ad litanias dum cantabitur ℣ *Peccatores* DD. Cardinalium cubicularii per aditum sacelli S. Leonis presbyterium ingredientur, qui deferent cappas rubras et recipient violaceas.

Expleta Missa Emi et Rmi DD. Cardinales cappas rubras deponent, et supra vestem violaceam et rocchettum induent mantellettum et mozzettam rubri coloris.

Dominica Resurrectionis. Emi et Rmi DD. Cardinales vestes rubeas cum calceis rubris induent. Basilicam ingressi Ss. Sacramentum adorabunt, vestes sacras albi coloris assument et in aulam paramentorum convenient.

Rmi Patriarchae, Primates, Archiepiscopi et Episcopi numero triginta pluviale coloris albi supra rocchettum et amictum vestient et mitram manibus tenentes in praedicta aula congregabuntur, ut inde processionali ritu una cum S. Collegio et Summo Pontifice ad altare Ss. Sacramenti et ad aram maximam accedant.

Reliqui Rmi Patres easdem sacras vestes adhibebunt et locum petent in presbyterio.

Completa a Summo Pontifice solemnis Missae celebratione, eodem ordine quo prius procedetur ad mediam basilicae navem pro sacrarum maiorum Reliquiarum ostensione, et ad podium superius, ex quo solemnis populo benedictio a Summo Pontifice elargietur.

Reliqui Rmi Patres Summum Pontificem ad podium sequentur postquam sacrae Reliquiae ostensae fuerint.
